

P R A E F A T I O.

*Astrologia.*



Etus nomen est Astrologiæ, qua intelligebant olim doctrinam non solum de viribus seu effectibus, verum etiam de motibus syderum ac corporum cœlestium. Posterior autem ætas eam doctrinam, quæ rationem motus

*Astronomia.*

stellarum contemplatur ac numeris persequitur, Astronomiam consuevit dicere, & Astrologiæ nomen accommodavit ad solas prædictiones de euentibus, qui astrorum motibus & positu efficiuntur, aut significantur in hac inferiori natura. Verum de hac diuinatrice parte aliàs dicitur. Astronomia igitur sicut alijs duabus

*Organa Astronomiæ Geometria, & Arithmetica.*

artibus tanquam organis potissimum extruitur, & absoluitur, Geometria scilicet & Arithmetica: ita eius vsus percipiunt aliàs numerorum subsidio, aliàs per instrumenta qualia sunt Astrolabia, Aequatoria, Meteoroscopia.

*Doctrina triangulorum.*

Constat enim initia huius dulcissimæ & sanctissimæ artis proficisci ab obseruationibus de cœlo sumptis per Ptolomæi Regulas, seu armillas, & id genus alia instrumenta. Hinc Geometria in constitutione artis duplex sibi munus usurpat, quia & Hypotheses congruentes apparentium anomaliarum periodis profert, & ut ars coacta in numeros queat ad communem vsum in vita omnibus seculis sine magna molestia transferri, abditam & exquisitam rationem aperit, quam doctrinam triangulorum vocamus. Per hanc enim doctrinam ex primis illis motuum obseruationibus rite inter se collatis & tractatis offerunt se tum equales seu medijs motus, tum horum differentiæ ad eosdem medios motus vel adiiciendæ vel demendæ, vnde apparentia loca stellarum quouis tempore in cœlo etiam sine intentione obseruationis solo numerorum præsidio quàm facillime innotescunt. Itaq; Geometria vtranq; huius Philosophiæ partem potissimum gubernat, quarum prior quidem θεωρητικὴν motuum considerationem certis hypothesibus subiicit, posterior autem ποικιλικὴν admiranda solertia et industria stellarum motus vel in numeros conijcit, vel ex his rursus in certa instrumenta, sed vt multi propter ignauiam vel inscitiam numerorum perperam credunt organicam illam motuum rationem expeditiorem esse ac vsu faciliorem, (iucundam enim plenamq; artificij esse quis negauerit?) ita non dubium est numerorum rationem longe esse certissimam, ac Canones seu tabulas motuum cœlestium omnibus Astronomicis instrumentis esse plurimum anteferendas.

*θεωρητικὴν ποικιλικὴν pars.*

*Duo genera Canonum.*

Sunt autem duo velut genera canonum, quibus cœlestium motuum calculus explicatur. Alij enim proponunt calculum primi motus ab ortu in occasum, qui motus omnibus Sphæris cœlestibus communis

munis